



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XXIII. Vtrùm Probabilitas rectè desiniatur per fundamentum grave?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

aliter sentiam; quia princeps petit meum sensum. Quod si ego, auditis aliorum rationibus, eorumque auctoritate inspecta, mitem meam sententiam, respondere debeo non juxta pristinam, sed juxta præsentem opinionem, quia si aliter loquar, apertè mentior. E contrario, si non mitem opinionem, absque dubio non licet loqui ex aliena opinione, quia hoc pariter est apertum mendacium. Jam ex hoc modo agendi nulla turbatio reipublicæ, nulla principis deceptio sequitur, quia princeps verè habet tot suffragia diversa, quot sunt suffragantes. Quod si aliquando ex hoc suffragandi modo indigni promoveantur, id prorsus est per accidens, eò quòd indignum suam dignitatem adeo probabilem reddiderit, ut à peccatis meritis reputaretur dignissimus. Sanè, si ille suffragandi modus, quem Celladeus approbare videtur, locum haberet, turbaretur respublica, quia suffragium ferens deberet loqui juxta opinionem præconceptam, etsi aliorum suffragantium rationibus & auctoritatibus convictus mutaret sententiam, quo nil absurdius aut turpius dici potest. Si enim non deberet ita loqui, cur culpatur Celladeus eum, qui ex aliena opinione, jam suà suffragium fert? Hoc culpatur Celladeus, & ut crimen gravissimum objicit. Ergo vult ut juxta opinionem præconceptam sententiam ferat, etsi jam, ob rationes & auctoritates aliorum, sententiam mutaverit. At hoc est facinus enorme, quod turbaret rempublicam, & est contra rationem ac praxim omnium bonorum. Ideo enim inter se conferunt consiliiarii, non ut singuli in opinione prius concepta, obstinata inflexibilitate remaneant, sed ut in eo tandem omnes conveniant, quod omnibus inspectis aut verum, aut verosimilius est.

Informatio de digniori loqui debent ex propria opinione, non ex aliena.

Qui informat ex mente Celladei turbaret rempublicam.

Suffragium in electione dignioris prudenter fieri potest ex alieno iudicio.

si enim omnes sint digni, & rationes, singulis faventes excedant & excedatur, ita ut difficulter cerè discerni possit quis sit dignior, sed singuli probabiliter sint dignissimi; in tali casu elector, ut certius suffragium dirigat, potest illum ex omnibus eligere, qui plura suffragia expressa habuerit. Prudenter enim præsumere potest, eum ex omnibus ejusmodi passivam vocem habentibus, esse digniorem, in quem plura suffragia conspirarint; idque maximè verum est, quando merito præsumimus, omnes & singulos electores, utpote notæ prudentiæ ac probitatis viros, non temerè, sed ut oportet, sua suffragia ferre. Hujusmodi suffragium tulit S. Ignatius Soc. nostræ Fundator, unà cum sociis, quando primi Generalis electio instituta fuit. Forma suffragii, ut Daniel Bartolus in ejus vita refert, fuit ista. *Me excepto, illi in Domino vocem meam do, ut sit superior, qui plura ad illud officium subeundum suffragia habuerit.* Non existimo, Celladeum, aut quemquam alium, tantæ sanctitatis ac prudentiæ virum stultitiæ ac peccati accusare velle, eo quòd ex alieno probabili in illis circumstantiis suffragium tulerit. Si eum imprudentiæ aut peccati in hoc acculent, seiplos, non illum, aut benignam sententiam condemnant, quia evidens est, nil in tali suffragio merito carpi posse. Præterea omnes ex hoc ipso suffragandi modo miram Sancti prudentiam ac humilitatem commendant, ut bene observat Daniel Bartolus in ejus vita. Adeo à veritate remotum est, quidquid Celladeus contra benignam sententiam objicit, ut illa ipsa quæ absurda reputat, sæpè sint apertissimè honesta; alia autem si debite distinguantur ac intelligantur, aut nullo modo tangunt benignam sententiam, aut illam confirmant, ut ex hac & aliis prioribus quæstionibus apertè constat, & uberius constabit ex sequentibus.

S. Pater Ignatius tale suffragium tulit.

28. Ceterùm si loquamur de suffragiis, quibus electio dignioris perficitur, fieri poterit, ut quis ex alieno iudicio suffragium prudenter ferat;

QUÆSTIO VIGESIMA-TERTIA.

Vtrum Probabilitas rectè definiatur per fundamentum grave?

Intentum Celladei, cumque exponitur.



CELLADEUS lib. 2. præscribit sibi agendum de natura probabilitatis veræ, seu realis & positivæ. In prioribus autem quæstionibus rejicit communes aliorum definitiones, in posterioribus suam ponit sententiam. Nos illum comitabimur, ut quid verum, quid falsum dicat, observemus, simulque ea omnia excutiamus, quæ contra benignam sententiam objicit. In prima ergo quæstione conatur eos refellere, qui probabilitatem in genere definiunt, describunt, seu explicant, dicendo illud esse probabile, quod nititur motivo gravi, non tamen omnino convincenti. Si enim motivum convinceret veritatem, redderet rem certam, non probabilem; si autem non esset grave, non redderet rem probabilem, sed leviter tantùm &

temerè credibilem. Ego de tota probabilitatis materia fusè egi *primis sex quæst. de Conscient. prob.* quas si Celladeus legisset, vidisset me plures quàm ipse probabilitatis explicationes rejicisse ut insufficientes, atque ita totam veræ ac legitime probabilitatis naturam explicasse, ut nulla de ea scienda ac dignoscenda superesse possit difficultas. Proinde totus labor, quem in secundo suo libro componendo impendit, omitti potuisset, quia illius inutilitatem, ac in omnibus insufficientiam perspectam habuisset. Ego itaque acta ibi non reagam, sed datâ occasione breviter indicabo, quæ ibi fusiùs probata sunt, & explicata. Hoc solum universaliter hîc noto, Celladeum frustra gloriari, quòd in probabilitatis expositione non novas, & à se excogitatas, sed antiquas & indubitatas illius definitiones afferat. Nam ego loco citato

citato omnes antiquas probabilitatis definitiones exposui, & juxta illas totam quæstionis principalis resolutionem contexui. Sed ne longior sum in præfando, quam par est, sit

ASSERTIO PRIMA.

Motivum probabile idem est, ac motivum grave, sed incertum.

Motivum probabile idem est ac motivum grave, sed incertum. Idem autem dendum est de aliis expressionibus æquivalentibus, si motivum probabile dicatur motivum incertum, sed magni ponderis, magni momenti, aut solidum, &c.

2. **P**ROBATUR assertio, quam Celladeus ipse hac in quæst. apertè fatetur esse veram. Probatur, inquam, quia motivum probabile, & motivum grave sed incertum, dicuntur ad convertentiam. Quidquid enim est probabile, debet esse incertum, & grave, ac rationale. Incertum quidem; quia quod ad certitudinem pertingit, probabilitatem evacuat, sicut lux tenebras expellit. Grave verò ac rationale, quia quod levi tantum fundamento nititur, non est probabile ac rationale, sed leve & temerarium, ut patet. Rursus omne motivum grave & incertum est probabile, quia omne tale motivum habet quidquid perfectionis & imperfectionis importatur à termino probabile. Tota enim imperfectio probabilitatis importatur à termino incertum, & tota ejusdem perfectio à termino grave comprehenditur. Itaque motivum grave sed incertum, & motivum probabile, haud dubiè dicuntur ad convertentiam. Ergo sunt idem, quod erat probandum. Idipsum valet de aliis terminis in assertione positus, quia eadem prorsus ratio de omnibus valet.

Probabile in specie eodè termino explicatur.

3. Jam ex hac notione universalis, convertibili cum motivo probabili ut sic, facile est similes explicationes cuivis motivo probabili in specie applicare. Probabile enim ab intrinseco est, quod nititur ratione gravi, sed incerta. Probabile ab extrinseco, quod in auctoritate gravi & incerta fundatur. Hæc enim prædicata sunt apertè convertibilia. Ergo sunt propositiones veræ, quod solum hic asseritur. Porro in re clara, quam adversarius ipse pro indubitata habet, comprobanda, ulterius immorandum non est.

ASSERTIO II.

Dictæ explicationes motivi probabilis tam in genere quam in specie, sunt quidem definitiones seu descriptiones sufficienter continententes & explicantes essentiam motivi probabilis; indigent tamen ulteriori explicatione, ut perfectè quietent intellectum.

Motivum grave, sed incertum, est bona definitio motivi probabilis.

4. **P**ROBATUR assertio quoad primam partem, quæ sola contrariatur Celladeo, qui secundæ ejusdem parti subscribit, quamvis in eo à nobis dissentiat, quod putet expressionem hanc non posse ulterius absque vitio explicari. Probatur ergo prima pars. Illa est bona definitio seu descriptio, quæ ex una parte convertibilis est cum definito, & ex altera est clarior eodem. Talis est allata explicatio. Ergo est bona & legitima definitio, seu descriptio. Major est evidens. Minor probatur. In primis explicatio illa est convertibilis cum definito, ex assert. 1. Deinde est

clarior, quia rudes obscurius intelligunt naturam probabilitatis, cum audiunt vocem probabile, quam cum audiunt vocem motivum grave sed incertum, per hanc enim secundam locutionem, exprimitur peculiaris vis movendi intellectum, proportionata illi, quam rudes in corporibus impellendis clarissimè experiuntur. Tota autem essentia motivi probabilis in hac vi movendi intellectum consistit. Hæc autem vis longè obscurius repræsentatur per vocem probabile, ut patet. Præterea expressio à nobis posita, non solum rudibus, sed etiam peritissimis clarè & distinctè exprimit peculiarem perfectionem & imperfectionem propriam motivi probabilis, in qua perfectione & imperfectione, simul unitis, tota probabilitatis essentia maximè radicalis consistit, cum ab illis prædicatis omnia alia legitime deducantur. Ergo hæc explicatio est clarior definito. Errat ergo Celladeus, qui hoc differtissimè negat. Verum si iterum rem consideret, videbit æquo jure dici posse, expressionem animal rationale non esse definitionem homine definito. At absurdissimum esset ex eo contendere, animal rationale non esse bonam definitionem hominis, quod non sit clarior definito. Ergo & in casu nostro. Certè locutio complexa disertè explicans genus & differentiam, non potest non esse clarior termino incompleto, confusè tantum exprimente utrumque. At motivum grave & incertum, est oratio complexa disertè explicans genus & differentiam. Probabile verò est terminus incompleto, qui uno conceptu utrumque confusè tantum attingit. Ergo nostra explicatio est evidenter clarior definito.

5. Probatur secunda pars. Intellectus audiens, quod probabile sit motivum grave sed incertum, non quiescit, sed adhuc quærit, quid sit motivum grave, seu magni momenti, hoc enim ulterius definiendum est, ut intellectus quiescat; sicut intellectus non quiescit, quando audit hominem esse animal rationale, nisi uterque terminus, clarior explicetur, & tandem dicatur, hominem esse principium sentiendi, & discurrendi, quod est esse animal rationale. Hic autem quiescit intellectus, quia jam tota hominis essentia exponitur per prædicata nobis notissima, in quibus sponte quiescimus, cum ulterius ad clariora progredi non possimus. Idem prorsus valet in casu nostro; quia intellectus cupit scire, quid sit motivum esse grave, & quod plus est, cupit habere indicium, per quod scire possit, motivum esse grave; nec quiescit, nisi hæc explicetur, quia quærimus definitionem per quam discernere possimus opinionem probabilem ab improbabili, & à judicio certo. Ergo nisi hæc explicetur, definitio probabilitatis non est exacta, nec sufficit aut ad quietandum intellectum, aut ad finem propter quem ista controversia instituitur.

Celladeus errat, cum hanc definitionem carpit.

Hæc definitio ulterius explicatio ne indiget.

ASSERTIO III.

Motivum incertum sed grave seu magni momenti multipliciter ita definiiri potest, ut, terminis auditis, intellectus planè quietetur. Propositum autem sit has definitiones asserre.

Motivum grave definitur.

6. **P**ROBATUR assertio contra Celladeum, qui expressè asserit, modum, ulterius explicandi talem descriptionem, esse vitiosum. Probatur, inquam, primò, quia absurdissimum est existi-

Celladeus cõtradictoria docet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

existimare, orationem, quae veritatem aliquam notoriam continet, non posse absque vitio ita clarè explicari, ut intellectus de proprio illius sensu sit securus, & in eo absolutè quiescat. Frustra enim ad ulteriorem explicationem tenderet, si ea absque vitio haberi non posset. At descriptio allata est oratio, quae notoriam veritatem continet, ipso Celladeo fatente. Ergo absurdum est existimare, illam non posse absque vitio ita explicari, ut intellectus in ejus explicatione quiescat. Ergo potest clarè explicari. Immo repugnat veritatem notoriam non posse sufficienter explicari absque vitio. Celladeus ergo, qui fatetur primum, & negat secundum, revera docet contradictoria.

7. Probatur secundò, afferendo varios modos, quibus gravitas motivi, respectu periti circa materiam propositam in rebus incertis, clarissimè explicatur. Inprimis motivum illud est grave, quod, post omnia pro utraque parte sincero animo diligenter perpensa, tam validè illum impellit ad assensum, ut existimet, neminem reprehendi posse ut temerarium, qui illi assensum præbet. Rursus respectu imperitorum, gravitas fundamenti hac aut simili definitione & explicatur & cognoscitur. Illud est motivum grave, quod post diligentem rei investigationem aptum est movere, & de facto movet plures peritos & probos ad assensum illi præstandum. Nil enim clariùs explicat naturam motivi gravis, quàm assensus unanimis plurium peritorum, & proborum, qui rem diligenter investigant. Rursus illud est motivum grave & probabile, quod in rebus incertis sufficit ad defendendam thesism cum communi satisfactione, contra argumenta potissima, quae à doctissimis Auctoribus, & rei maximè peritis afferri possunt & solent. Hoc autem est prædicatum, quod peritis clarè innotescere potest, ut patet. Hæc & alia similia fusè proposita sunt & explicata *quæst. 2. de Consc. prob. num. 5. & seq.* ex quibus clarissimè patet, quid sit motivum grave & incertum, & quomodo intellectus ita in ejus notione quiescat, ut per illam certificari possit, quodnam sit, quodnam non sit motivum grave & probabile. Qui plura de hac materia desiderat, adeat locum citatum, ubi omnia ad hanc materiam spectantia ordinatim digesta, & clarè explicata inveniet. Cæterùm præter has, plurimas alias notas in primis sex illis quaestionibus propono, ex quibus facilè & certò innotescat non solum peritis, sed etiam idiotis, quæ sint quoad se, quæ quoad nos, quæ extrinsecè, quæ intrinsecè probabilia, seu gravi sed incerto motivo nixa.

8. Demum sic ad hominem arguo contra Celladeum. Propositio posita est notoriè vera, & ipsamet fatetur. Ergo est clarè intelligibilis, ac explicabilis. Sed clarè explicari non potest, nisi aliquo ex modis allatis, aut alio illis æquivalente; quia explicari debet respectu intellectus, prout ille tali motivo ad assensum impellitur. Relativum enim non nisi per terminum relationis explicatur, ut certum est. Ergo Celladeus fateri debet, gravitatem motivi intellectualis posse ac debere explicari per ordinem ad intellectum, & assensum, ad quem stimulat; cum aliter explicari non possit, ut ipse etiam fatetur, uti mox apparebit, quia motivum intellectuale relativum est ad intellectum, quem movet, & ad assensum, quem causare potest, ut patet. Ergo nemo rectè negat motivum grave rectè explicari posse in ordine ad intellectum, & assensum.

9. OBJICIT primò. Magnitudo & gravitas motivi, per quam probabile definitur, dicit respectum ad intellectum, qui aliquo falem modo per illud movetur ad assensum. Ergo illa magnitudo & gravitas intelligi nequit, nisi explicetur in ordine ad intellectum. Peto jam, an magnitudo illa & gravitas censenda sit relatè ad omnem omnino, an solum respectivè ad aliquem tantum intellectum. Neutrum dici potest sine aliquo absurdo. Ergo, &c. Probatur minor. Inprimis grave & leve motivum non magis dici potest respectu omnis intellectus, quàm onus dici possit grave & leve respectu omnium hominum; non enim major est diversitas inter vires, quàm inter intellectus hominum, ut patet. At onus, puero grave, est viro robusto leve. Ergo motivum quod grave est respectu ignorantis aut leviter credentis, illumque convincit, alteri intellectui perito est leve, & prorsus insufficientes ad assensum impetrandum. Ergo motivum dici nequit grave respectu omnis intellectus. Deinde dici nequit grave respectu virorum gravium & doctorum, quia hac ratione incidimus in vitium contra logicam, quia quaeritur definitio probabilis in genere, quod, semel explicatum, dividendum erat in probabile ab intrinsecò & in probabile ab extrinsecò. At jam, ut probabile in genere declaratur, ventum est ad probabile in specie, nempe ad probabile ab extrinsecò, scilicet ad homines graves, & ad auctoritatem gravem, in qua sola probabilitas extrinseca consistit. Ergo jam explicamus genus per speciem, quod est contra trita logicæ præcepta, & non minùs absurdum, quàm si animal per hominem explicaretur, cum è contrario homo per animal exponi debeat. Ita Celladeus *hic §. 1.*

Respondeo, gravitatem & magnitudinem motivi, de quo loquimur, dicere respectum non ad quemcumque intellectum, sed solum ad intellectum peritorum in materia, de qua agitur, ut constat ex dictis in probatione *Affertionis 3.* hoc autem non est explicare genus per speciem, quia unusquisque optimè intelligit, quid sit hominem esse peritum in aliqua materia, licet nil sciat aut cogitet de probabilitate in genere, aut in specie. Et ratio est, quia peritia est dispositio, qua homo aptus est ad materiam aliquam penetrandam, juxta statum quaestionis & ignorantiae humanae. Itaque conceptus peritiæ seu doctrinæ alium respectum non dicit, quàm dispositionis hominis ad objectum debitè penetrandum. At clarum est, hunc respectum diversum esse à respectu, per quem probabilitas extrinseca constituitur. Probabilitas enim extrinseca dicit respectum ad assensum, quem unus alteri præbet ob peritiam & probitatem ipsius. Conceptus ergo probabilitatis extrinsecæ in eo consistit, quod homo asserens aliquid, sit dignus, cui assensum præbeamus. Ideo autem dignus est tali assensu, quia peritus est & probus, atque per locutionem suam auctoritatem interponit, ut alius assensum eliciat. Quolibet enim horum deficiente tollitur conceptus probabilitatis extrinsecæ, ut patet. Præterea, qui definit probabilitatem extrinsecam, eam explicat per auctoritatem dignam assensu. Si hanc auctoritatem explicet, eam declarat per peritiam & probitatem, &c. Ergo conceptus peritiæ, ad quam nos solum respicimus, non est conceptus specificus probabilitatis extrinsecæ, sed præsupponitur

notus,

Motivum non potest dici grave respectu omnis intellectus.

Motivum de quo grave dicit respectum ad intellectum peritorum.

Explicatio motivi gravis non explicat genus per speciem.

notus, antequam scire possimus, quid sit probabilitas extrinseca. Ergo conceptus peritæ diversus est à conceptu probabilitatis extrinseca. Demum probabilitas extrinseca supponit peritum considerasse rem, suamque sententiam protulisse; nisi enim peritus iudicium elicerit, suamque sententiam tulerit ac explicaverit, nullus locus est probabilitati extrinseca, ut patet. Ergo connotatum, in ordine ad quod probabilitas extrinseca explicatur, non est iudicium à perito elicitum, sed iudicium aliud eliciendum dependenter à iudicio periti præexistente. At nos motivi gravitatem explicamus in ordine ad iudicium à perito elicitum. Ergo in hoc nos non explicamus genus per speciem.

Aliquando genus rectè explicatur per aliquod connotatum speciei.

10. Deinde respondeo, aliquando contingere, ut species sit notior, aut certè non minus nota, quàm genus. In quo casu non est absurdum inchoare à consideratione speciei, & sic ad generis considerationem progredi. In hoc autem casu genus explicari potest per aliquod ex obliquis, per quod species ipsa explicatur. Verùm tunc non prius consideratur genus, quàm species, sed è contrario species consideratur ante genus, ideoque genus congruè explicatur in ordine ad aliquod prius observatum in specie. Ratio est, quia ordo cognitionis ita constitutus est, ut à facilioribus ad difficiliora progrediamur. Et sanè si rectè observemus nostrum modum discurrendi, inveniemus abstractiones genericas non esse prædicata primò nota, sed non nisi à multis aliis notioribus minus universalibus ac præviis dependere. Sic in nobis ipsis prius observamus,

Aliquando genus non innotescit nisi dependenter à connotatis speciei prius clarè cognit.

quid sit videre, audire, tangere, &c. quàm sciamus quid sit sentire in generali. Rursus prius scimus, quid sit sentire in genere, quàm quid sit animal ut sic; adeoque ad notionem genericam non venimus, nec illam explicamus, nisi in ordine ad notiones antea in specie observatas. Neque tamen ideo explicamus genus per speciem adæquatè sumptam, sed solum per quasdam operationes, aut quasdam prædicata in specie ipsa prius observata. Itaque in huiusmodi rebus alius est ordo discendi, alius docendi. Optimus discendi modus est, ut à particularibus ad universalibus progrediamur, imò sæpe aliter ex propria observatione ad universalium notitiam pervenire non possumus. At obtentâ semel scientiâ, non est incongruum, ut eam alios contraria methodo doceamus, & ab universalibus incipientes ad particularia descendamus. Et hæc est ordinaria methodus Magistrorum. Verùm qui methodo discendi in docendo uteretur, laudandus esset, non culpandus, quia certiori via, etsi longiori progrediretur. Et sanè hanc in docendo methodum sæpe congruam reperi, discipulisque utilissimam; & quod plus est in præsentia materia de natura probabilitatis, ejusque definitione, ut à clarioribus ad obscuriora progredere, resolutionem quæstionis à probabilitatis extrinseca notionem incepti, atque à prædicatis & connotatis in illa observatis ad probabilitatis tam intrinseca, quàm probabilitatis in genere definitionem clarè & certè tradendam gressum feci, ut videre est quæst. 2. de Consc. prob. num. 20. & seqq.

Objectio 2.

11. Objicit secundò. Nobis ignotum est, qui sint viri verè graves & docti. Ergo quando probabile, seu motivum grave explicatur per ordinem ad viros doctos & graves, nil explicatur, quia ignotum per æquè ignotum exponitur. Ita Celladeus §. 1.

Respondeo, si antecedens verum esset, nemo

nisi stultè à Celladeo consilium peteret, nec illum ad ullam resolutionem faciendam adhiberet, quia nemo sciret, an à perito vel imperito consilium peteret. At hoc si non solum fieret, sed omnibus ut verum ac indubium proponeretur, id fortasse ipsi gratum non esset, sed horam culparet, in qua hoc scripsit. Similiter non deberet animum ad quiddam scribendum adjicere, nemo enim scire posset, an doctè & peritè scriberet, & consequenter nemo dictis ipsius fidem prudenter adhibere posset.

Respondeo secundò, parum mali universæ reipublicæ ex eo sequitur, quod nemo, stante veritate talis asseri, Celladeum, aut quemvis hominem particularem consulere, sed ingens malum foret, quod sanctissimum Tobie consilium, à Deo nobis in Sacra Scriptura propositum, irritum fieret. Sanctus senex cap. 4. ver. 19. hortatur filium dicens. *Consilium semper à sapiente perquire.* Et haud dubiè ideo hoc scriptum est, ut illud tamquam consilium nobis etiam à Deo datum accipiamus. Eadem est omnium sapientum concursus sententia, idem consilium, ut omnes, maximè imperiti, in dubiis suis peritos ac sapientes consulant. Sed & hoc ipsum imperitis quibusque naturæ lumine notissimum est, ut in dubiis consulere debeant peritos, & juxta illorum resolutionem actiones suas gubernare. At hæc omnia frustranea, inepta, stulta, ac falsa forent, si sapientes & peritos discernere non possemus, imò magna ex parte frustratoria essent, si ipsi rudes eos nequirent discernere. Ergo non modò non est impossibile sapientes & peritos nosse, sed id ipsum & debuit esse omnibus obvium, & verè est notissimum.

12. Respondeo tertio, multos esse Auctores, qui omnium sententiâ reputantur valde periti. Tales sunt, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, S. Antoninus, Caietanus, Sylvester, Suarez, Toletus, alique innumeri. Ergo illorum resolutioni licitè stamus. Illi autem, aut omnes, aut plerique expressè docent, usum opinionis probabilis esse licitum, & regulas dant, quibus probabile dignosci possit. Rursus quidam periti sunt in facilioribus, qui in difficilioribus non sunt sufficienter periti. Unde qui satis peritus est pro rusticorum confessionibus excipiendis, sæpe caret peritiâ ad mercatorum, militum, aulicorum, & peritorum instructionem necessariâ. Interim ille ab imperitiâ habetur, & haberi debet pro perito, qui publicam sufficientiæ suæ famam habet, & à superioribus ad illos dirigendos constituitur. Nec obstat, quod aliquando talis homo verè sit insufficientis; quamvis enim ipsius peritiâ & probitas quoad se desit, non tamen deest quoad nos, quia prudenter præsumitur sufficientiam habere. Nos autem ex tali præsumptione ad operandum dirigimur, & eos pro extrinseca probabilitate quoad nos sufficientes dicimus, qui ex tali præsumptione habentur sufficientes; quod pleribus ostensum est quæst. 6 de Consc. prob. quia sufficientiam prudenter præsumpta ad talem probabilitatem sufficit, etsi per accidens veram sufficientiam abesse contingat.

13. Quod si de doctis sit sermo, illi facile norunt, quinam sint, & quinam habeantur periti. Si verò aliquis eorum in aliquo à peritiâ deflexit, & minus peritè locutus est, id ab aliis non dissimulatur. Unde facile norunt, quinam, & in quo sint & communiter habeantur periti, quod tam perspicuum est, ut mirer quemquam de hoc dubitare potuisse. Jam verò ille generaliter loquendo

Celladeus scribere debet, si verum diceret.

Periti & prudentes facile cognoscuntur.

Aliqui Auctores notoriè sunt periti.

Quidam periti sunt in facilioribus tantum.

Docti facile norunt, qui sint & habeantur periti.

quando peritus est in aliqua materia, qui & capacitate rem illam bene intelligendi pollet, & illam diligenter examinavit, talis enim non potest non esse peritus in tali materia. Si res ab aliis tractata fuit, videre debet quid alii in illa re potissimum observarint, & tunc tandem suam sententiam proferre; quod si res ab aliis discussa non fuerit, majori diligentia opus erit, ut solidè sententiam ferat. Jam facile est peritis scire, an hæc alicui convenient, nec ne. Uno verbo periti ac sufficientes ad debitè judicandum de rebus controversis, non sunt tam pauci, quàm Celladeus imaginatur. Qui autem scire cupit quinam illi sint, & quomodo tam pro intrinseca, quàm extrinseca probabilitate dignosci possint, legat qq. 2. 5. & 6. de Conf. prob. ibi enim hæc omnia expolita inveniet.

Objectio 3. 14. Objicit tertio. Si probabile explicetur per motivum grave, probabilitas intrinseca per extrinsecam explicanda erit. Intrinseca siquidem probabilitas est, quæ nititur ratione gravi: At ratio gravis non est ratio, quæ movet quemlibet, sed quæ ad viros peritos movendos sufficit. Ecce intrinseca probabilitas per extrinsecam, id est, una species per aliam explicatur, quod est absurdum & vitiosum. Præterea intrinseca probabilitas est naturâ prior quàm extrinseca. Ergo prius exponenda est quàm extrinseca, & non nisi vitiosè per hanc explicatur. Demum probabilitas extrinseca etiam explicatur per intrinsecam; si enim petatur, quid sit virum esse gravem, & fide dignum, respondetur eum esse talem, qui non quibuslibet, sed gravibus rationibus assensum præbere solet. Ecce circulus vitiosus committitur, & species oppositæ mutuo per se ipsas explicantur. Ergo definitio hæc non est clarior definito, imo exponi non potest absque vitio. Ita Celladeus §. 1.

Una species aliquando rectè explicatur per ordinem ad aliquid includum in alia specie.

Respondeo, hanc etiam objectionem in eodem falso supposito fundari, quòd scilicet probabilitas ut sic, & probabilitas intrinseca explicetur per probabilitatem extrinsecam, quod tamen certò constat esse falsissimum, quia solum explicatur per ordinem ad iudicium, quod vir peritus post diligentem rei considerationem elicit. At nec hoc iudicium solum, nec sola peritia, nec utraque simul est probabilitas extrinseca, sed solum aliquod constitutum ipsius, quia probabilitas extrinseca præter hæc dicit etiam probitatem, & externam locutionem, qua talis homo suam auctoritatem interponit ad fidem obtinendam. Jam non est absurdum explicare unam speciem in ordine ad partem alterius speciei, ut in casu nostro. Præterea non est absurdum, ut una species explicetur in ordine ad aliam, quando illæ sunt correlativæ; sic materia explicatur in ordine ad formam, & forma in ordine ad materiam, pater in ordine ad filium, filius in ordine ad patrem, appetitus in ordine ad bonum, bonum in ordine ad appetitum, & universaliter actus in ordine ad objectum, & iterum objectum in ordine ad actum. Et sanè quamvis ista non semper rectè explicentur ad invicem prout sunt correlativa, quia sic fieret circulus vitiosus, nihilominus verè explicantur ad invicem materialiter sumpta, sub aliquo conceptu non correlativo: sic pater non rectè explicatur, qui gignit filium, nec filius, qui gignitur à patre, hac enim ratione nil explicaretur; sed pater est homo, qui gignit hominem, & filius est homo genitus ab homine. Idem proportionaliter dicendum de aliis, quamvis in illis, quæ sunt mutuo intrinsecè & essentialiter correlativa

Sape una species non potest explicari nisi per aliam.

transcendentaliter, ut materia & forma, neutrum explicari possit, nisi in ordine ad aliud acceptum sub conceptu aliquo correlativo, quia propriæ ipsorum rationes essentielles sunt correlativæ. In his tamen talis explicatio non est vitiosa, quia quod ponitur ut constitutum rei in una explicatione, illud in altera non ponitur ut constitutum, sed solum ut terminus rei explicatæ, quod certè non est absurdum, sed prorsus necessarium in rebus ejusmodi, cum perspicuum sit illas aliter explicari nec posse, nec debere.

15. Applicentur hæc ad casum nostrum, & videbis nullum esse vitium in hac probabilitatis definitione, quia probabilitas intrinseca & extrinseca, ratio gravis & intellectus peritus sunt correlativa, unde unum bene explicatur in ordine ad aliud; maximè quando illud aliud non sumitur sub conceptu correlativo, ut fit in casu nostro; nam ratio gravis non dicitur, quæ movet virum gravem, sed quæ movet virum ingenio & capacitate præditum, qui rem diligenter examinavit, & absque passione animum cæcante judicat. At nil horum exprimit correlationem ad rationem gravem sub conceptu gravis, ut patet. Et sanè hæc omnia adeo clara sunt, ut mirum sit ea in dubium vocari potuisse; ex correlativis enim vix ullum invenietur, quod clariùs, & absque recursum ad terminos correlativos rectius explicetur, quàm motivum grave & vir peritus, aut probabilitas intrinseca & extrinseca.

16. Præterea dato, quòd probabilitas intrinseca concedatur explicari in ordine ad extrinsecam, & ratio gravis dicitur esse, quæ apta est ad movendum hominem gravem & fide dignum, non ideo committitur circulus, quia homo gravis ac fide dignus non explicatur per ordinem ad rationem prout illa est & dicitur gravis, sed simpliciter ad rationem, quam approbat; nam homo fide dignus est homo peritus & probus, qui rem diligenter examinavit, & absque passione animum cæcante sententiam tulit, eamque exterius significavit. Hic nil dicitur de ratione gravi, ut patet; sed illam rationem, qua talis homo motus est, appellamus gravem, quia approbata est à viro tali, taliter judicante. Itaque nullus circulus vitiosus, nullum prorsus vitium in explicatione probabilitatis in genere vel in specie committitur.

17. Demum etsi probabilitas intrinseca explicaretur in ordine ad extrinsecam, quam ordinem præcedit, non tamen ideo talis explicatio esset vitiosa, nec prius explicanda foret probabilitas intrinseca, quàm extrinseca, quia nos ob imperfectionem intellectus nostri servare non possumus eum ordinem in cognoscendo, quem res obtinent in essendo; procedimus enim à notis ad ignota, ab effectibus ad causas, nec causam explicare possumus, nisi per ordinem ad effectum nobis notiozem. Sic hominem dicimus esse principium sentiendi & discurrendi, &c. Itaque cum probabilitas extrinseca sit notior intrinseca, & intrinseca probabilitas supponatur respectum dicere ad extrinsecam, utique sequitur, quod intrinseca probabilitas, quamvis naturâ prior, explicari non possit nisi in ordine ad extrinsecam, quam respicit, & sine cujus prænotione debitè cognosci nequit, ut videre est in definitione hominis & similibus. Fallitur ergo Celladeus in omnibus & singulis, quæ hic objicit, etiam data hypothesi, in qua loquitur. Cæterum hypothesis vera non est, quia ex responsione ad primum constat, rationem gravem, & probabilitatem intrinsecam non

Correlativa non explicatur per mutuū respectū sub conceptu correlativo.

Ratio gravis explicatur per Auctorem grævem absque circulo vitioso.

Quæ sunt priora naturâ optimè explicantur in ordine ad posteriora magis acta.

non

non explicari in ordine ad probabilitatem extrinsecam adæquatè sumptam, aut ad ullum conceptum cum probabilitate extrinseca convertibilem.

Objectio 4. 18. Objicit quartò. Si dicamus (inquit Aristoteles 6. Ethic. c. 1.) medium virtutis inter excessum & defectum consistentis esse quod recta ratio præscribit, verum quidem est, non tamen perspicuum, idcirco oportet etiam circa animi habitum non solum verè hoc dictum esse, sed etiam determinatum, quænam sit recta ratio, quæq; ejus definitio. Ecce Aristoteles expressè admittit explicationem veram, sed eam insufficientem agnoscit; sicut enim qui ait ea corpori curando adhibenda esse, quæ homo medicinâ instructus præscribit, verum quidem dicit, sed insufficienter se explicat, ut quemquam ad corpus curandum dirigat; ita pariter verum dicit, sed insufficienter se explicat, qui dicit, medium inter excessum & defectum esse quod recta ratio præscribit. At hic ipse est casus præsens, nam Auctores benignæ sententiæ eodem prorsus modo respondent, scilicet probabile esse, quod gravis, aut si mavis, quod recta ratio præscribit. Ergo hæc expositio ex mente Aristotelis non est sufficiens, quamvis sit vera, quia nihil dicit perspicuum, doctrinale, ac determinatum. Ita Celladeus ibidem.

Doctrina Philosophi Celladeo non favet.

Respondeo, verissima hæc Aristotelis dicta nec Celladeo favere, nec nobis ullatenus adversari. Celladeo non favet, quia ipse intendit probare, definitionem non esse definito clariorem, sed idem explicari per idem, ac circulum vitiosum committi. At Aristoteles nil horum objicit contra generalem illam explicationem, qua medium virtutis dicitur esse quod recta ratio præscribit. Evidens enim est, illud in genere verum esse, & medium illud clariùs explicari per ordinem ad rationem rectam, quàm antea conciperetur sub notione mediæ inter excessum & defectum. Id ipsum etiam clariùs patet in exemplo illo de medicina; quia per hæc enunciationem, ea corpori curando adhiberi debent, quæ peritus medicus præscribit, unusquisque magis dirigitur ad aptum remedium querendum, quàm si solum generaliter dicitur illi, remedium est adhibendum. Itaque Aristoteles non rejicit hunc loquendi modum ut obscurum, aut ut vitiosum, eò quòd explicet idem per idem, sed solum ut insufficientem, eò quòd sit ratio quædam generica, quæ non est satis determinata & perspicua, ut quis per eam in particulari dirigatur, quod certè verum est de quavis definitione generica, quantumvis optima & exactissima. Itaque certum est, hanc Aristotelis doctrinam Celladei intento non favere.

Nec nobis adversatur, sed nobiscum per omnia consentit.

19. Rursus certum est, eandem nobis non adversari, nam ultrò fatemur, definitiones istas probabilitatis, sive in genere, sive in specie, non habere sufficientem determinationem, ut per illas solas dirigamur ad operandum; nam si aliud non sciamus, quàm istas definitiones in genere, non aliter hærebimus, quàm ægrotus, qui aliam notionem non habet, quàm genericam illam, quòd ea adhibenda sint, quæ medicinæ peritus præscripserit. Sicut enim ægrotus non potest sumere medicinam in communi, nec id quod in communi à medico præscribitur, sed aliquid particulare præscribi debet, ut illud sumi possit; ita pariter nos non possumus ponere actionem probabiliter licitam in communi, sed necesse est, ut probabilitas ad peculiare objectum terminetur, ut sic ultimam consultationem adhibeamus, & conscientiam debitè formemus. Itaque quoad hoc per omnia cum Philosopho concordamus.

Ceterum hinc non sequitur, definitiones istas generales non esse doctrinales, & utiles, quia definitiones istiusmodi generales in omni materia tam ab Aristotele quàm ab omnibus peritis adhibentur, quod certè non fieret, nisi doctrinales, & ad finem intentum utiles essent. Porro in casu nostro sunt utilissimæ, quia sine illis scire non possumus in particulari, quidnam sit probabile; per istas autem definitiones ad illud sciendum manuducimur, ut patet; sit enim syllogismus istiusmodi; Quod plurimi periti post debitam rei investigationem verum reputant est probabile. Sed hoc objectum à plurimis peritis post diligentem rei investigationem verum reputatur. Ergo est probabile. Nec obstat, quod definitiones istiusmodi per se solas non sint adeo determinatæ & perspicuæ, ut se solis sufficienter dirigant ad opus; quia nulla definitio generica, quamvis optima, habet talem claritatem, perspicuitatem, & determinationem; quia ad opus res in particulari exprimenda est. Nihilominus habent claritatem, perspicuitatem, & determinationem genericam, quæ sola in ipsis requiritur, quæque pro legitima rationis generice definitione abundè sufficit. Verum claritas, & determinatio generica conjungitur cum obscuritate & indeterminatione resp. Et speciei ac individui, ac ultimæ doctrinæ nobis ad operandum necessariæ. Hoc est quod docet Aristoteles, & hoc est quod nos docemus, & fatemur in nostra doctrina contineri, quia scimus illud in omni legitima doctrina debere involvi.

20. Objicit quintò. Dantur Auctores indubie graves & omni exceptione majores, ut Sanctus Thomas, Scotus, Suarez, & alii complures. Item dantur Auctores haud dubie superficiales, item & mediocres, qui omnes ita inter se ordinantur, ut superiores parum differant à sibi proximis, & sic per gradus usque ad Auctorem infimum, & maximè superficialem. Idem valet de rationibus gravibus seu probabilibus, & levibus seu improbabilibus: licet enim aliquæ sint certò graves, & aliæ certò leves; tamen graves paulatim & insensibiliter definiunt in leves, & leves sensim augentur, donec evadant graves. Hoc posito, sequitur explicationem hanc esse prorsus inutilem, quia cum probabile intrinsecum per rationes graves, & extrinsecum per auctoritatem gravem explicetur, impossibile est, ut determinatè sciatur, quinam Auctores, & quæ rationes censei debeant graves. Certè Auctores educati in una schola plurimi faciunt rationes & Auctores sibi faventes, quos tamen Auctores scholæ contrariæ mediocres aut etiam leves reputant. In hisce enim judiciis educatio, & scholarum divisio multum facit. Præterea non est ratio, cur unus Auctor aut ratio includatur, & alius Auctor aut ratio, à priori parum distans, excludatur. Ergo omnes Auctores habendi sunt graves, & omnes rationes dicendæ sint probabiles & ad conscientiam debitè formandam sufficientes. At sequela absurda est, inutilitatemque ac insufficientiam istarum definitionum ostendit. Sic si rex det facultatem omnibus & solis maximæ dignitatis viris, ut coram se caput cooperiant, & aliud non explicet, certum erit, aliquos ex nobilibus includi, & alios excludi; nihilominus ista lex tandem omnes includeret, quia in nullo fisci posset, cum non sit cur proximus & eo parum inferior in dignitate excludatur. Ergo omnes includerentur. Ergo lex illa esset planè inutilis. Idem valet in casu nostro. Ergo, &c. Ita Celladeus §. 3.

Respon-

Que parum
distant ab
invicem læpe
facile dif-
cerni pos-
sunt.

Respondeo in primis, me fuisse respondisse huic argumento *quest. 5. de Consc. prob. nu. 43. & seqq.* qui locus non inutiliter inspicietur. Similiter ibidem *totâ quest. 5. & 6.* fuisse exposui, quomodo certò probabilia à non certò probabilibus dignosci possint, etsi motiva ipsa parum, & ut ita dicam, quodammodo insensibiliter distent ab invicem. Interim ex ibi dictis constat, argumentum nil valere, quia supponit motiva parum ab invicem distantia certò discerni non posse, quod ibi ostendi esse falsissimum.

Celladei
contradi-
ctio.

21. Respondeo secundò, Celladeum in hoc ipso argumento sibi contradicere; fateatur enim aliquos esse Auctores certò graves, qui jam universali omnium famâ tales habentur. Rursus fateatur etiam aliquos esse Auctores certò leves ac superficiales; alios autem mediocres, quorum aliqui magis, aliqui minus ad extremos accedunt. Eodem modo in exemplo de facultate à rege concessa, fateatur aliquos certò comprehendendi; alios certò non comprehendendi sub terminis concessionis. Hæc ergo, quæ certa sunt & evidentia, non subjacent falsitati aut ulli exceptioni, quamvis de mediis non ita constet, ad quam extremorum classem reduci debeant. Ergo sibi contradicit & errat, dum contendit ex hoc sequi, quod omnes Auctores & rationes essent graves, quodque omnes omnino nobiles haberent facultatem cooperiendi caput coram rege, quia falsum ex vero deduci nequit. Ipse autem fateatur antecedens esse verum & certum, item agnoscit consequens esse certò falsum. Ergo evidenter errat, dum dicit consequens illud ex antecedente legitime deduci. Porro si aliqui sint viri certò graves & periti, illique ab aliis discerni possint, ut Celladeus fateatur, hoc nobis sufficit, quia motiva gravia & probabilia in ordine ad tales explicamus; dicimus enim sola certò probabilia esse sufficientem conscientiarum ritè formandæ regulam. Certum autem est, hujusmodi probabilia optimè explicari posse in ordine ad viros graves, quales ille agnoscit posse à nobis certò dignosci.

Celladei &
omnes te-
nentur ar-
gumentum
solvere.

22. Respondeo tertio, Celladeum, omnesque debere huic argumento respondere, si illud ad materiam furti, vel alterius peccati applicetur, in cujus materia datur parvitas & gravitas. Sic enim arguo. Certum est centum aureos esse materiam gravem, item certum est unum obolum esse materiam levem in furto. Rursus certum est quantitates medias, descendendo à majori ad minus, & ascendendo à minori ad majus, per gradus insensibiles diminui & crescere. Et sanè incrementum & decrementum horum graduum est longè minus sensibile, quam sit decrementum in gradibus nobilitatis, aut in classibus Auctorum. Hoc ergo posito, peccato à Celladeo, an putet legitime deduci, nullam dari materiam parvam in furto, eò quod descendendo à maxima ad minimam, descensus fiat per gradus insensibiles? quid dicis, Celladee? valent ista consequentia in materia furti, an non valent? Si dicas valere, patenter erras, quia contrarium & lumine naturæ notissimum est, & ab omnibus omnino Catholicis Doctoribus ut indubitatum habetur. Si dicas non valere, uti procul dubio scis & dicis, responde ergo argumento tuo ad hanc materiam applicato, & evidenter videbis, responsonem illam, si sit congrua, longè melius quadrare in materia & casum præsentem, quam in materia furti; quia gradus per quos incrementum fit in casu nostro,

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

sunt pauci, & facile numerari possunt, ac proinde satis notabiliter ab invicem discrepant; gradus autem in materia furti sunt plurimi, & unus insensibiliter distat ab altero, ut patet.

23. Respondeo quartò directè, & dico, auctoritates & rationes aliquas esse certò graves, sint aliquæ alias autem esse certò leves. Accipio istas, & de mediis quæro, an ex illis certò discerni possit, quæ sint, quæ non sint graves? Si hoc possit discerni (uti optimè potest, sicut ostendi *quest. 5. de Consc. prob. num. 43. & seqq.*) argumentum non valet, ut per se patet. Si hoc discerni non possit, nostrâ nil interest, quia rationes & auctoritates non certò graves aut probabiles, ex nostrâ communiquæ sententia ad conscientiam debite formandam non sufficiunt. Itaque de illis solliciti non sumus; nec ullam de illis in ordine ad præsentem controversiam quæstionem facimus, nisi ut rejiciantur tanquam insufficientes; omnia enim solùm in ordine ad rationes & auctoritates certò graves explicamus.

Dico, quod
auctoritates
& rationes
certò gra-
ves, hinc no-
bis sufficit.

24. Respondeo quintò, & directè examino singula in objectionem posita. In primis fateor, plures esse Auctores gravissimos, quia plurimi sunt notoriè tales, & ab omnibus post eorum opera diligenter discussa habentur tales. Fateor alios respectu horum esse mediocres, alios etiam, si ita loqui velis, leves & superficiales. Nihilominus absit ut existimem, grandem Auctorum catalogum formari posse, ut Celladeus innuere videtur (quos tamen prudenter advertit à se nominari non debuisse) qui omnes & sint & dici debeant leves in sensu præsentis quæstionis, quasi illi, nec seorsim nec collectim sumpti, reddere possint assertum suum certò probabile, aut tantam peritiam non habeant, quanta sufficit, ut ratio dicatur & verè sit gravis, quæ post debitam diligentiam, in veritatis indagatione impensam, illos ad assensum movit. Non sum, qui de viris verè peritis ac probis, dequæ Ecclesia & republica literaria optimè meritis tam severè judicem. Imò ut hac de re sensum meum exponam, assero, nullum esse ex omnibus Auctoribus Catholicis, ne quidem ex Casuistis ullius famæ ac nominis, quos Ecclesia tolerat, qui non sit verè peritus & sufficiens ad certò discernendum rationem & Auctorem gravem à levi; quique suum assertum, si debite rem examinet, & absque passione indebite illum impellente sententiam ferat, certò probabile reddere non possit.

Auctores,
quos Celladeus
mediocres &
leves vocat,
non sunt le-
ves in sensu
præsentis
quæstionis.

25. Mentem meam expono. Auctores aliquos non tam superficiales ac leves voco, quam Auctores, qui rem superficialiter seu ad litteram leviter tractant. Ad istam classem omnes reducuntur, qui aut solas assertiones compilarunt, ut multi Casuistæ fecerunt, aut breves aliquas rationes in confirmationem attulerunt. Talis enim liber superficialiter & leviter rem tractat, si litteralem rerum expressionem spectes. Auctores ergo, qui aliter non scripserunt, res superficialiter, ac ad litteram leviter tractasse dicuntur, quos tamen non ideo leviter aut superficialiter tantum doctrinâ imbutos fuisse puto, sed oppositum scio; tantam enim in multorum illorum dictis & scriptis sapientiam & accurationem videre est, ut nemo ambigat, quin fuerint viri longè gravissimi; talis est Summa Cardinalis Toleti, qui si aliud nil sciant. scripserit, vel ex illo opere summis Theologis meritò æquari potuisset. Jam talium virorum opiniones non minoris momenti sunt, quam eorum, qui diffusè res tractarunt. Cæterum de casuum collectoribus universè assero, eos non leviter

T

levitet

Casum cō-
pilatores sūt
Auctores gra-
ves, relate
ad id,
quod præ-
stant.

leviter doctos, sed homines moralis materiæ suffi-
cienter peritos fuisse, qui Auctores graves à le-
vibus & superficialibus discernere, atque judi-
cium sincerum & certum de extrinseca ac intrin-
seca opinionum probabilitate ferre potuerunt. Ita-
que isti Auctores in ordine ad hoc pro gravibus
habendi sunt; raro enim de suo quicquam affe-
runt. Si ergo opiniones & sententiæ communes
proponant, non dubium, quin illæ à viris gravi-
bus assertæ fuerint. Si contra communem opinio-
nem aliquid statuunt, nisi novas & gravissimas ra-
tiones afferant, & omnia communi sententiæ fa-
ventia solvant, audiendi non sunt; quia nisi ista
præstentur, temerè à communi sententiâ recedi-
tur. Si verò hoc præstent, eo ipso in illa materia
peritos & graves se ostendunt. Quod si aliquid ex
proprio proponant, quod ab aliis tractatum non
fuit, illudque nec communi sensui, nec Ecclesiæ
decretis, nec Majorum traditionibus repugnet,
non est cur non habeatur probabile, quia meritò
præsumitur, eos non temerè ita judicasse. Unde
qui in hoc ipsi consentit, quamdiu nil in contra-
rium affertur, non temerè sed prudenter assensum
præbet, quia viri periti sententiam, & optimum,
quod hîc & nunc in rebus obscuris haberi potest,
dictamen sequitur. Quod si hoc postea ab aliis
confirmetur, probabilitas augetur; si verò proba-
bilitas ipsa in dubium revocetur, cessat quoad nos,
juxta dicta in *quest. 6. de Consc. prob.* Demum si
aliquis ex istis casuum collectoribus à munere suo
defleat, id statim à viris peritioribus notatur,
qui ista non dissimulant, sed statim aperto ore &
calamo reprehendunt. Unde perspicuum est, qui
sunt, qui non sint doctores & opiniones graves, in
ordine ad præsens intentum, quidquid Celladeus
in contrarium imaginatus est.

Qui res fusè
tractant, fa-
cile scitur
esse Aucto-
res periti ac
graves.

26. Qui verò in quæstione tractanda rationes
hinc inde perpendunt, atque ita demum de fini-
culis sententiam ferunt, non superficialiter, sed
fundamentaliter materias resolvunt. Jam nemo
ex talibus invenitur, qui vir peritus non sit; & si
quis esset, qui non probè caperet, quæ diceret,
statim ab omnibus ludibrio haberetur, & explo-
deretur. Quod si non explodatur, sed laudetur,
signum est eum esse virum doctum & gravem, nec
de eo quisquam ambigit. Porro unusquisque
Theologiæ & Canonum notitiâ mediocriter in-
structus, ex propria lectione statim discernere
potest, an talis Auctor quæstiones solidè & gra-
viter resolvat. Cæterum hoc etiam in istis ad-
vertendum est, difficiliter istis credendum esse, quan-
do contra omnes alios novam sententiam invehant;
non enim sunt audiendi, nisi, ut ante notatum est,
novas efficacissimasque rationes afferant, &c. Bre-
vi autem ex communi Doctorum sensu scitur, an
dicta talia pro gravibus habeant, an pro levibus ex-
plodi debeant.

Una schola
admittit
Auctores
scholæ con-
trariæ esse
graves.

27. Nec obstat, quod Celladeus benè adver-
tit, Auctores, peculiaribus opinionibus ac scholis
addictos, longè favorabilius censere de opinionibus,
rationibus, & Auctoribus suis, quàm de iis,
quæ ipsis contrariantur; hoc, inquam, eorum judi-
cium non obstat præsentis intento; certum enim
est, communes integrarum scholarum opiniones,
maximè de rebus moralibus, esse probabiles, &
gravibus rationibus niti; neque hoc inficiantur

Auctores contrariæ sententiæ, quamvis rationes
adversariorum minoris faciant, quàm suas; quia
unusquisque secundum affectum facile judicat. Ita-
que etsi Doctores unius scholæ pro mediocribus
habeant Auctores scholæ contrariæ, quos schola
illi adversa plurimi facit, non tamen eos in eo sen-
su mediocres, aut leves reputant, in quo Celladeus
voces illas hîc usurpat, quia non negant illos ratio-
nibus verè gravibus & probabilibus duci, sed so-
lùm indicant, eorum rationes esse suis minùs pro-
babiles. Quod si sermo sit de opinionibus, circa
quas non est tam acris disputatio inter illos, de illis
mitiùs sentiunt, ut patet. Itaque hoc non obstat,
quòd minùs certò constet, quinam sint, & in quibus
graves, in sensu quæstionis præsentis, reputari
debeant.

28. Quod si distinguamus probabilitatem in-
trinsecam ab extrinseca, nulla est difficultas deter-
minandi quæ sint, quæ non sint probabilia. Omnes
periti ex propria industria & sedula lectione facile
vident, & discernunt quinam fundatè, quinam le-
viter rem discutunt. Similiter facile discernunt
rationes graves à levibus. Quod si sermo sit de
probabilitate extrinseca, omnes, etiam rudes, suffi-
cientem de ea notitiam habent, alioquin malè illis
prospectum esset. Nemo enim licitè ad confessio-
nem accedere, vel medicum advocare posset, te-
netur enim unusquisque non temerè quemque pro
sua conscientia directore, aut corporis medico
eligere. Ergo peccat, qui sufficientem non eligit,
Sufficientem, inquam, juxta præsumptionem, &
famam communem; quicumque enim talem famam
habet, meritò sufficiens præsumitur, ac
proinde rudiores dictis illius meritò fidunt. Atqui
certum est, rudes in advocando medico, & eligen-
do confessario non peccare. Ergo certum est, rudes
benè discernere, quòd quoad nos sint graves
& sufficientes pro suo munere debitè implendo.
Discernunt, inquam, non veram sed præsumptam
eorum sufficientiam. Hæc autem præsumpta suffi-
cientia reddit illos fide dignos, eorumque auctori-
tatis in illa consistit. Porro hæc auctoritas est uni-
ca causa formalis constituens probabilitatem ex-
trinsecam quoad nos. Tantum ergo abest, ut gra-
ves rationes, gravesque viri discerni non possint,
ut nemo sit adeo rudis, qui eos facillimè non dis-
cernat.

29. Demum. Paritas illa de rege concedente,
ut omnes & soli maximæ dignitatis viri facultatem
habeant cooperiendi caput coram ipso, nobis non
obstat, quia stante tali regis declaratione certum
erit, inferiores nobilitatis gradus à tali privilegio
excludi debere; similiter certum erit, superiores
ejusdem gradus tali privilegio gaudere. De qui-
busdam mediis gradibus res erit dubia, fierique
poterit, ut sit probabile hos includi, illos non in-
cludi in privilegio. Cæterum haud dubiè facillimè
est evidenter inclusos ab evidenter exclusis
distinguere. Itaque paritas favet nobis, quia idem
planè dicendum erit de rationibus & Auctoribus
gravibus & levibus. Hoc autem nobis abundè
sufficit, quia omnia explicamus per rationes & au-
toritates certò graves; nam quæ non sunt certò
rales, ad conscientiam debitè formandam non suf-
ficiunt.

Periti facile
discernunt
rationes
graves.

Rudes facillimè discernunt suboritur in gravem, & ad licitè operiendum sufficientem.

Exemplum
Regis à Cel-
ladeo allatum
nobis favet.

QUÆ.